



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Regvla XX. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

presumitur, confirmari. Nam & idem evenit in ulucapione rei alienæ, cuius dominium, si res mobilis sit, triennio; si immobilis, longo tempore

adquiritur, tit. Inß. De usucap. Vix est enim, inquit Paulus, ut non videatur alienare, qui patitur ulucapi, l. Alienationis 28, D. De verb. signif.

## REGULA XIX.

Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

**E**Thæc Regula convenit cum l. Culpa D. eod. tit. & huc traducta videtur ex cap. Tua 19, Ext. De homicid. Quod pertinere arbitror etiam eum, qui rem, quam ignorat, cum damno alterius profiteretur, l. Idem juris 8. §. mulionem cum l. seq. D. Ad L. Aquil. l. Illicitas 6. §. sicuti D. De off. praesid. Neque obstat tit. D. & C. de neg. gest. Nam quod abfentis negotia ab aliis recte gerantur, id propter utilitatem absentium receptum est; cum

beneficio affici hominem intersit hominis, l. Servus 7, in fine D. de servis export. Quare neque negotiorum gestor aliter competit a domino ad repetendos sumptus, quam si utiliter negotium gesserit, l. Sed an ultro 10, D. de negot. gest. Ubi tamen prohibente domino negotia eius gesserit, sumptus factos non reperit, l. fin. C. de negot. gest. Estque hoc calu huc regulæ locus.

## REGULA XX.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

**S**imilis juris civilis Regula est: Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam aliâ defensione uti, nisi lex impediat, l. Nemo ex his 43, D. hoc tit. Ut ecce debitor, qui ex delatione creditoris iuravit se nihil debere, & exceptione creditoris iuravit, non tamen eam probavit, potest relicta ea ad exceptionem pacti conventi, transactionis, solutionis, rei iudicatæ confugere, vel etiam simul eas proponere. Pluribus enim defensionibus, inquit Paulus, uti permittitur, l. Is qui 3, D. de except. etiam si exceptiones inter se contrariæ sint, l. Nemo prohibetur 8, D. d. tit. de except. Eoque accidit, ut is, qui hominem à se occisum negavit, possit de eo convictus, recurrere ad hanc exceptionem, quod obtutelam corporis sui eum occiderit. Decius ad cap. Pastoralis, num. 1, Ext. de except. Ad probandum tamen exceptiones contrarias simul, reus minime admitti debet (quia hoc impossibile foret) sed successive. Cæterum hæc clausula, Nisi lex impediat, adiecta Regulæ juris civilis, huc transferenda vel potius subaudienda est, ut perdat officium suum & hæc Regula iis casibus, quibus iure cautum est, ne alia exceptio obiciatur, qui recensentur hic in Glos. & ad d. l. Nemo ex his. Diversum obtinet in actore, cui unam tantum actionem

unius rei nomine intentare licet, d. l. Nemo ex his §. 1, vide latus Per. Costal. ad l. Quod in herede §. elige D. de tribus. act. in qua & ad huc usque persistere debet, Auth. Qui semel C. Quomodo & quando iudex. Cuius diversitatis hæc ratio est, quod in actoris potestate sit, quando & qua actione experiri velit, qui ve ius suum ante diligenter explorare possit. Quod non æque in reo est, qui se impetrat ad iudicium provocatur: unde benignius cum reo, quam cum actore agitur, l. Qui in alterius 42, D. hoc tit. l. Pure 5, §. fin. D. de doli & mt. except.

Neque movet textus in cap. Veniens 19, Ext. de prescript. Nam quod ibi exceptio prescriptionis post exceptionem privilegii prius obiectam non admittatur, hoc idem accidit, quod prescriptioni per impetrationem privilegii renuntiatum presumatur; frustra igitur prescriptionis exceptio obtenditur; alioqui absurdum non est, exceptiones privilegii & prescriptionis simul, vel separatim posse obici, cap. Cum persona 7, de privi. leg. lib. 6, cap. Auditis 15, Ext.

de prescript.

(\*\*\*)